

DISPUTATIO PHYSICA.
De
VOLUNTATE.

1928 K 944

439

Quam.

14

DEO VOLENTE

SUB PRÆSIDIO
VIRI

PRÆCLARISSIMI ATQUE EXCELLEN-
TISSIMI

DN. JOHANNIS SPERLINGI

Physices in Alma Leucorea Professoris
Publici, longè celeberrimi,

Dn. Præceptoris, Patroni, ac Promotoris
sui omni observantiæ cultu devene-
randi.

*publico & placido Eruditorum examini
submittee.*

GEORGIUS BALTHASARUS SPUDÆUS
Sveviphordo Francus.

*In Auditorio Majori, ad d. 1. Sept.
horis antemeridianis.*



WITTEBERGÆ

Ex officinâ Typograph. MICHAELIS Wendt/
ANNO M DC XLIX.

1649

7070



DISPUTATIO PHYSICA

VOLUMINATE

Quam

PRO GORRENTIO

scripsit

VIRI

RECTORIS UNIVERSITATIS MAGISTRI EXCELLEN-

DI JOHANNIS GORRENTII

PHYSICIS IN ALMA MATER MAGISTRI

PHYSICIS IN ALMA MATER MAGISTRI

PHYSICIS IN ALMA MATER MAGISTRI

PHYSICIS IN ALMA MATER MAGISTRI


scripsit

GEORGII WILHELMI SPIDELII

PHYSICIS IN ALMA MATER

PHYSICIS IN ALMA MATER

scripsit



WITTEBERGAE

PHYSICIS IN ALMA MATER

PHYSICIS IN ALMA MATER



DISPUTATIO PHYSICA,
De
VOLUNTATE.

Proœmium.



Voluit DEUS, verba sunt Hieronymi, rationalem creaturam voluntarij boni, munere, & liberi arbitrij potestate dotare, ut boni & mali capax, utrumq; naturaliter posset, & alterum voluntate deflecteret. Licet quippe nobis eligere, refutare, probare, respuere: nec est, quò magis rationalis creatura cœteris præferatur, nisi quòd cum omnia animalia conditionis tantum ac necessitatis bonum habeant, hæc sola habet etiam voluntatis. Hujus itaque facultatis tanta cum sit dignitas, tantaq; ob libertatem nobilitas, de ejusdem essentia agendique libertate, quantum in nostra positum fuerit facultate, balbutire conabimur. Veneramur autem Magnum voluntatis nostræ Autorem, ut quæ de voluntate dicere volumus, ipso volente liberè etiam possimus.

CAPUT I.
DE ONOMATOLOGIA.

THESIS I.

Voluntas dicitur à volendo; non à volitando, aut volando, ut quidam volunt.

§.1. Quamvis verborum nō magna videatur habenda esse ratio: tamen ex nominibus sæpe ad rei perceptionem adspiramus, ut

Plato docet in Cratylo. Nominis igitur definitio planè negligenda non est; cùm hæc ipsa primum rem bene intelligendi principium sit, teste Arist. 4. Post. c. 1. hæc siquidem obscuram vocem declarat, ambiguum determinat, derivatæ Etymologiam pertractat.

§ 2. Voluntatem dici à volendo, si etymologiam spectamus grammaticam, certum est. Denominatur enim potentia ab actu suo: sicut ab audiendo auditus, à videndo visus dicitur. Ipsum Volo à græco βύλωμαι, origenem trahere, autor est Scaliger, l. 1. de causis LL. c. 27. βύλωμαι verò à βύ, intensiva particula, & λῶ, volo. hinc λήσις, voluntas.

§ 3. Verùm ut in omni ferè Etymologia variant autores, sic & ab hac nonnullos dissentire videmus. Guil. Scotus, in 1. dist. 10. à volitando voluntas dicitur; quia sicut res quasi ad animum veniunt, quando intelliguntur: sic anima quasi ad res volitat, quando hanc vel illam rem vult & amat. Sunt & alij, qui à volatu voluntatem dici volunt; quia scilicet animus ita se habeat, ut puncto temporis, quò vult, pervolet. Sed magis arridet prior derivatio §. 2. posita.

§. 4. Dicitur Græcis θέλωμαι, quod ibid. à θέλω, tanquam ab actu suo denominationem accepit.

THESIS II.

Voluntatis vox variis aliis ambiguitatibus involuta nobis h. l. denotat potentiam illam, quã liberè quid volumus.

§. 1. Πάν τὸ πολλαχῶς λεγόμενον ἀσυνφές, inquit Philosoph. hoc est, Æquivocum omne perse nihil significat, nisi ad quasque res pro voluntate significantis aptetur. Boet in lib. de Inter. Vox enim cùm plura significare queat, fieri potest, ut aliter ab auditore accipiat, quàm fuit in mente proferentis. Hinc homonyma ubique accuratè distinguenda docet Philosoph. 1. top. cap. 15. ubi modum, quò fieri id possit, simul monstrat.

§. 2. Su-

§. 2. Sumitur voluntas (1.) improprie sicq; vel inanimatis tribuitur, ut magnes velle se cum ferro conjungere, Sol velle oriri dicitur; vel animatis, iisq; vegetantibus tantum, aut vegetantibus & sentientibus simul.

§. 3. (2.) Proprie, & tunc denotat vel ipsam volitionem seu actum volendi a facultate ista oriundum; vel ipsum objectum volitum, quomodo dicitur de testamento hominis jam demortui: hæc est ultima eius voluntas.

§. 4. (3.) Propriissime, pro ipsa *δυνάμει* seu facultate volendi, eaq; increata & infinita, qualis in S. S. DEO tribuitur: vel creata & finita, quam & in Angelis & in anima rationali offendimus. Missis autem reliquis omnibus solam hominis voluntatem nobis explicandam sumimus.

THESIS III.

Dicitur aliò nomine Appetitus rationalis, & Liberum arbitrium; non autem, nisi abusive Intellectus practicus.

§. 1. Tres in homine occurrunt appetitus, ob tres animæ gradus, qui ibidem concurrunt: naturalis, sensitivus, rationalis. Ille est facultas animæ vegetivæ, & naturæ cognitionem: Ille, seu facultas animæ sentientis cognitionem sensuum: hic animæ rationalis facultas, Intellectus cognitionem sequitur. Et hic ultimus appetitus, qui rationalis dicitur, cum voluntate convenit, ita ut nomen & definitio hujus illi competat. Quamvis usitatio vulgo sit Voluntatis vox, quam appetitus rationalis.

§. 2. Videmus etiam, appetitum, si absolutè ponatur, ad animal, nullò habitò respectu rationis, restringi. Sic enim Scal: Appetitus autem & affectus *εν τῷ ἀλόγῳ* Exerc. 307. sect. 4. Appetitum verò, uti ex Cicerone dicebamus *ὁρμὴν, ἢ τὴν ὁρμὴν ὁμῶς*, quasi *ἀθρόως*, ut sit impetus sine electione. Id. Ibid. Sed ut antea diximus, hanc sustinet rationem appetitus vox, si ab-

solute ponatur, nullā mentione facta vel naturæ vel sensus, vel ipsius etiam rationis.

§.3. Solent nonnulli Liberum arbitrium pro voluntate ponere, quod ratione essentiæ non differant à se invicem. Ead. enim facultas, quatenus in objectum fertur ut illud appetat, voluntatis nomine venit: quatenus autem ita appetit, ut etiam possit non appetere, Liberum arbitrium audit; factum hinc, ut utramq; Cicero conjungeret, dum de Fat. 144. a. inquit: Qui introducunt causarum seriem sempiternam, hi mentem hominis voluntate liberā, vel ut alij, Liberō arbitriō spoliatam necessitate Fati devincunt.

§.4. Videtur obstare, quod arbitrium potius Intellectus, quàm voluntatis actus sit. Tribuitur enim ab eod. de Orat. 94. a. opinioni, his verbis: Res ab opinionis arbitriō sejunctæ, scientiā comprehensæ. Cum tamen opinio sit actus intellectus scientiæ, contradistinctus. Sed notandum, Arbitrium dici dupliciter: pro arbitratorum judicio, & pro libertate ac potestate agentis; Illō modo ad intellectum spectat, hōc ad voluntatem: Ibi Intellectus notat censuram, hic voluntatis electionem, ut eruditè monet Excell. Dn. Præses, in Anthropol. l. 1. c. 4. expl. ad præcept. II. Exempla utriusque posuimus antè.

§.5. Nec hīc desunt, qui voluntatem spurio nomine Intellectum practicum dicere audeant. Quos inter Scaliger primas tenet, qui Exerc. 307. sect. 9. de Voluntatis actionibus agens ita loquitur: quippe *ὄρεξις, ὄρεξις, βέλησις ἐκ τοῦ πρακτικῆς*. Huic consentire videmus Zabarell lib. de facult. animæ c. 13. Ubi sub finem ita: Igitur intellectus practicus & intellectus speculativus eatenus duas animæ facultates significant, quatenus discrimen denotant Intellectus & Voluntatis. Verum ad *πραγματιολογίας* cum hac spectent, eō reservamus.

THES.

THESIS IV.

Voluntarium, Volitio, & Velleitas, paronyma Voluntatis sunt.

§. 1. Lubet & de Paronymis Logicis addere aliquid; inter quæ Voluntarium primarium videtur, ob eam, quam habet latitudinem. Sumitur enim (1.) improprie, pro eo quod est à seipso, non ab alio; hinc Cicero: Est etiam Abninus, quidam senator voluntarius, lectus ipse à se. (2.) proprie, & tunc vel latissime, pro omni eo, quod in vel à voluntate est; velleitate, prout opponitur necessario. Sic actionem vocamus voluntariam, quæ aliàs libera dicitur, vel strictè, prout opponitur invito. Sic voluntarie moritur, qui sibi ipsi manus infert violentas; Merces autem invito eicit Mercator, modò naufragium evitet: non voluntarie, licet eicere velit.

§. 2. Volitionem barbari nostri tam novè, quàm necessariò; Scalig. Exerc. 307. sect. 3. Est autem volitio ipsa actio, quæ voluntas objectum ab intellectu cognitum appetit vel aversatur. Hæc in se & absolute sumpta una est: dividitur autem à varijs variè, sicut infra patebit.

§. 3. Velleitatis vocabulum ut horridum & durum quid sonat: sic duram & absurdam de eo sententiam fovent Scholastici. Sic autem eorum mentem Vasquez in S. Thom. 1. part. tom. 1. disp. 83. n. 22. explicat, ubi de voluntate DEI antecedente differens, hanc vero voluntatem, inquit, permulti Scholastici, præsertim recentiores arbitrantur esse conditionatam, quam velleitatem quoque appellant; quòd ad objectum non absolute, sed sub conditione consideratum referatur. Sic & ipse Thomas: Voluntas incompleta est de impossibili, quæ secundum quosdam velleitas dicitur; quia scilicet aliquis vellet illud, si esset possibile. 1. 2. quæst. 13. artic. 5. Verùm hanc Deo tribuere voluntatem, impium est; id quod alijs discutiendum relinquimus.

CAP.

CAPUT II.
De
ΠΡΑΓΜΑΤΟΛΟΓΙΑ.

THESIS I.

*Voluntas est facultas animæ ratio-
nalis.*

§.1. Facultas est vis illa & potestas, quam anima tanquam de
sinu suo promit & ad munerum functiones profert. Fernel. lib.5.
Physiol. c. 2. Id autem perinde est atq; si dixeris insitam & vernacu-
lam animæ proprietatem, quæ ipsa quidem est accidens, sed a-
nimæ intimum atq; adeò intellium quasi, ut plerisq; illius essen-
tia putetur.

§.2. Factum hinc, ut ex inima potentiaram cum anima co-
hæssione colligerent nonnulli omnimodam identitatem. Verùm
omnia illorum Philosophorum argumenta cum aut falsa nitantur
hypothesi, aut principium petant, solvi facilè poterunt. Ea
itaq; temporis & chartæ parcentes merito hic omittimus, nostram
sententiam illis contrariam tum à priori, tum à posteriori probare
nitentes.

§.3. Facultates ab anima differre realiter, à priori sic proba-
mus: Omne accidens à subiecto suo differt realiter; facultates a-
nimæ sunt accidentia, anima earum subiectum. E. facultates ani-
mæ ab anima differunt realiter. Major in Scholis Philosopho-
rum firma, seu de propriis seu de communibus accipiat accidenti-
bus. Minorem tuetur sequens argumentum: Omnis substantia
creata, ut sine accidentibus non consistit, ita nec sine iisdem agit.
Anima est creata substantia. E. sine accidentibus nec consistit nec
agit, hæc ipsa autem sunt, quæ facultates dicimus.

§.4. A posteriori sic procedimus: Omnis actio præsupponit
potentiam agendi; cum nihil agat, nisi agere possit. Intellectio
autem, Volitio &c. sunt actiones. E. aliquam præsupponunt poten-
tiam. Quam non esse ipsam animam exinde patet, quòd nihil
agat

agat immediatè, à seipso, nisi actus ille omnium purissimus & simplicissimus, DEus inquam, qui solus sibi sufficiens, & omnia in omnibus esse dicitur. Hæc cum realem facultatum ab anima differentiam sole clariorem reddant, lucem adducere non volo. Plura tamen qui desiderat, præter Zabarell. l. de facult. animæ cap. 3. seqq. adeat Excell. Dn. Præsidis Anthropol. l. 1. cap. 2. q. 1.

THESIS II.

Differt ab intellectu realiter.

§. 1. Constat ex antea dictis fuisse, qui realem facultatum ab anima differentiam negantes, intellectum & voluntatem ipsam animæ essentiam dicerent, quæ pro varietate operationum varia fortiretur nomina. Hinc falsæ ejusmodi mancipati hypothese, nec voluntatem ab intellectu realiter differre volebant, ne contrariam foventes sententiam, animam à se ipsa differre dicerent. Verum errore, quò tenebantur graves illi Philosophi, jamjam refutatio, falsa exinde nexa conclusio sponte sua corrui. Quam tamen ex abundanti refutatam vide ap. Jac. Zabarell. l. de facult. animæ c. 5. seqq.

§. 2. Voluntatem nihil aliud esse, quàm intellectum practicum, docet alij, modò tamen diversò. Scaliger, qui facultates animæ realiter non differre putat, in homine inquit, voluntas est intellectus promotus Exerc. 307. sect. 3 Est enim voluntas Intellectus extensus ad habendum aut faciendum, quod cognoscit. Id. ibid. Verum Zabarella hac in re Scaligero consentiens, dissentit in eo, quòd intellectum theoreticum & practicum distinctas statuit facultates. Ita enim lib. de facultat. animæ c. 13. Ego vero, inquit, arbitror, intellectum practicum & speculativum duas notare rationalis animæ facultates. Quænam autem illæ sint, mox explicat, ubi de voluntate hæc verba: per hoc solum distinguitur (practicus) à speculativo, videlicet per propensionem ad prosequendum bonum & fugiendum malum, quæ dicitur voluntas.

§. 3. Nos hanc differentiam probamus è diversitate cum actuum, tum objectorum. Actum voluntatis ab intellectu actu

B

longè

longè differre, quilibet sanæ mentis homo videt, modò quid intelligere, quid velle sibi velit, intelligat. Illud est rem per species apprehendere, cognoscere & dijudicare; hoc autem rem ab intellectu cognitam vel appetere, vel averfari & rejicere.

§. 4. Objecta itidem differre realiter, dicunt eorum formalitates, quæ sunt veritas & bonitas; illa objectum constituit intellectus, hæc voluntatis. Licet vel maxime in materiali conveniant, ita ut illud ipsum Ens, quod intellectus cognovit ut verum, ut bonum appetat voluntas. Adde modos, quibus circa objectum versantur, diversos; siquidem per species intellectus objectum fertur quasi ad intellectum; non item voluntatis ad voluntatem. Sed volendo trahitur potius Mens ad prosequendum objectum, sicque in illud fertur.

THESIS III.

Subjectum ejus est anima rationalis.

§. 1. Subjectum aliàs triplex est: Inhæisionis, tractationis & prædicationis. Hoc (præposterò ordine ut agamus,) quia pars Enuntiationis est, de qua in Logicis, merito eò remittimus: Illud quod aliò nomine subjectum circa quod & objectum dicitur, sequenti thesi destinamus: Istud primum, quod subjectum in quo salutatur, assumens. Cum enim accidens sit voluntas, de qua nostra instituta disputatio est, subjectum in quo seu cui inhæret, habeat necesse est. Si quidem relationem dicit omne accidens & respectum ad suum subjectum, cui inest, sive illud aliud accidens sit, sive substantia.

§. 2. Dicimus itaque voluntatis subjectum esse animam rationalem, in qua ceu ente aliquo per se subsistente inest & existit, ita ut sine hoc suo subjecto nec essentiam, nec existentiam servare possit: Cum non sit accidens ad extra adveniens, quemadmodum parietì albedo inhæret, sed illi maxime intrinsecum tanquam essentiam immediatè consequens, & ex ea ceu fonte & origine subemanans.

§. 3. Inve-

§.3. Invenimus autem voluntatem & in DEO & in Angelo, aliò tamen atque aliò modo. Deo etenim tribuitur per conceptum aliquem inadæquatum; cum re ipsa ab ipsius essentia non differat. Angelo autem tanquam accidens subjecto suo inest non minùs, atq; animæ rationali. Verùm, cum nõ de omni voluntate in genere, sed in specie de ea, quam homini concedimus, sermo nobis sit, meritò ejus subjectum constituimus animam rationalem, utpote alteram hominis partem essentialem.

THESIS IV.

*Objectum verò duplex: Prosecutionis, & per-
secutionis. Illud est Bonum; hoc Ma-
lum, utrumq; ab intellectu
prius cognitum.*

§.1. Duplex hoc objectum requirit actus voluntatis duplex: Velle scilicet & nolle, quorum ille prosequi, hic verò persequi objectum dicitur, ut infra audiemus. Prosecutionis autem objectum Bonum esse, natura dicitur, quippe quæ suæ conservationem intendit. Datus est igitur unicuique rei appetitus, quò se conservet atque perficiat: At non conservantur & perficiuntur res, nisi ijs, quæ sunt sibi & naturæ suæ convenientia, quæ nos bona vocamus. Nec obstat, quòd violentus appetit crapulam, adulter adulterium, *ἀνὴρ* homicidium; hæc ipsa enim licet in se mala sint, aliquam tamen speciem boni præ se ferunt, sub qua specie ab ejusmodi pravæ & corruptæ mentis hominibus appetuntur.

§.2. Commune illud & omnibus probatum axioma: Voluntas nihil appetit, nisi sub ratione boni, à Scoto cœpit aliquantulum in dubium vocari. Nondum enim satis probatum fuisse, ajebat: Voluntatem non posse velle malum sub ratione mali, & non posse nolle seu odisse bonum sub ratione boni. Tandem tamen meliora sapiens planè affirmat oppositum. Verùm Nominales, ut aliquid novi docerent, id quod Scotus dubium reddidit, ipsi asseverare ausi sunt, dicentes: Voluntatē ferri posse in malum sub ratione mali, affectu amoris & complacentiæ, & in bonum affectu

odij & duplicentia. Hæc scilicet est magna illa Philosophia, quæ contra naturam disputans insipientem sapit sapientiam. Diximus autem, naturam sui conservationem appetere: Malò autem conservari quicquam, vel Germania nostra bellò intestinò devastatá, multis cædibus, incendiis, inundationibus deleta penè inficiatur. Nos dicimus, omne malum, quod à voluntate appetitur, non ut tale, sed sub ratione boni, quod præ se fert, appeti. Id quod vel ipsa, quæ pro sententia sua Nominales afferunt, argumenta monstrant.

§.3. Non tamen omnino negamus, malum etiam voluntatis objectum esse; fugit enim voluntas malum, id quod averfatur, & eò ipso, quo averfatur, versatur circa illud. Diximus ergò objectum persecutionis, quod voluntas, ut ab Intellectu cognovit malum, suæque naturæ inimicum esse, persequitur quasi ac rejicit. Accidit interdum, ut & bonum averfetur homo, non tamen ut bonum, sed ut malum: quando nimirum vel ab intellectu prava cognitione tale accepit, vel appetitui sensitivo nimis indulget, exemplò Medæ, cujus hæc verba:

Video meliora, proboque
deteriora sequor.

THESIS V.

Actiones sunt tres: velle, nolle, non-velle.

§.1. In genere Voluntatis operatio una, Volitio: sicut intellectus, intellectio. Dividitur autem in velle ratione actuum diversorum in tres hæc actiones. Ita ut velle (in specie sumptum) dicat simplicem approbationem, ubi plenà voluntate quid volumus: nolle, simplicem repugnantiam, ubi cunctis viribus resistimus: non velle autem, invitam permissionem, quæ cum indignatione fit. Dicitur hæc actio mixta; quia inter duas priores, ceu inter extrema, media quasi incedit.

§.2. Dividuntur insuper actiones voluntatis pro varietate tum objecti, tum subjecti variè. Objectum enim vel habet respectum finis, tunc Voluntas dicitur velle, frui, intendere: vel mediij, tunc actiones voluntatis sunt: Consultatio, electio, applicatio. Ratione subjecti dicuntur actiones immanentes, vel transeuntes. Illæ, quæ in voluntate permanent, vocantur elicite, quia à voluntate in se ipsa

ipsa eliciuntur: hæc cum ad alias facultates inferiores, locomoti-
vã maximè & appetitivã se extendunt, imperatæ dicuntur,
quia à voluntate, ceu dictatore summo imperantur; aliæ quidem
θεσποτικῶς, aliæ *πολιτικῶς*.

THESIS VI.

Omnes tamen liberae sunt.

§. 1. Liberas dico voluntatis actiones, non in se sed ratione
principij; mixtæ enim quæ dicuntur, & ab externo principio ali-
qua ex parte moveri videntur, liberæ dici non possent, uti nec im-
peratæ, quas inferiores facultates imperio voluntatis edunt. Sin
principium, à quo oriuntur, voluntatem scilicet attendas, in ea utique
libertatem offendes. Possumus enim objectum nobis proposi-
tum & oblatum appetere, vel averfari, possumus etiam neu-
trum.

§. 2. Hinc hæc libertas consideratur dupliciter: (1) quatenus
agere potest, & non agere (2) quatenus hoc vel illud prout libue-
rit, agere potest. Prior actuum exercitium dicit, & contradictio-
nis: posterior objecti specificationem, & contrarietatis vocatur.
Ita tamen ut utraque dicat potentiam, non actum; cum eveniat
aliquando, ut actus à principio libero oriundus ab externo aliquo
impediatur. Quod tamen potentia libertati nil quicquam de-
rogat.

§. 3. Triplex aliàs statuitur Libertas: A servitute, coactione
& necessitate. Prima est, quæ (non ab omni officio & ministerio li-
berè etiam præstando, sed) à servitute herili dicimur liberi: altera,
quæ violentus externi principij impulsus removetur: tertia deni-
que principium internum non ad unum tantum objectum deter-
minatum esse dicit. Triplici hac libertate prædita voluntas no-
stra, frustrâ dicitur determinari à præscientia divina. Tantum e-
nim abest, ut DEI præscientia necessitet (ut loquuntur) volunta-
tis nostræ actiones, ut potius eadem DEI præscientiam inferre ne-
cessariam videantur. Non enim ideò nos hoc vel illud volumus
aut non volumus, quia DEUS præscivit; sed quia voluntatis no-
stræ actus talis vel talis futurus erat, non potest non præscivisse.
DEUS, quippe qui omniscius, etiam futurorum.

B 3

CAP.

CAPUT III.
DE DEFINITIONE.

THESIS I.

*Voluntas est facultas anime rationalis, quã
objectum ab intellectu cognitum liberè
vel appetit vel averfatur.*

§. 1. Ex thesibus Cap. II. præmissis definitio hæc eruitur, quæ genere constat & differentiã. Genus constituimus facultatem, ut accidens, (contra Scaligerum aliosq;) non ipsam anime essentiam esse, obtineamus. Addimus animã, ut excludamus voluntatem tum Angelorum, tum ipsius DEI. Ne autem in genere cuius anime, aut in specie vel vegetativæ vel sensitivæ rerum imperitus inesse voluntatem putet, π rationale adjecimus, solam animam rationalem voluntatis subjectum constituentes.

§. 2. Differentiam absolvit (1) objectum. (2) adjunctum. (3) effectum proprium. Objectum determinamus per cognitionem intellectus, ita ut voluntas neque appetat bonum, neque malum averfetur, nisi præviã cognitione; cum ignoti nulla cupido. Voluntas autem non cognoscit quicquam, sed cognitionem intellectus sequitur. Intellectus, inquam, non theoretici, cujus objectum à Philosophis constituitur verum, sed practici, cujus objectum Bonum est, id quod & voluntatis objectum diximus c. præced. th. IV. §. 1.

§. 3. Adjunctum voluntatis est Libertas seu Liberum arbitrium, quod dicit vim & potentiam in homine ad exercendam & suspendendam actionem suam. Hæc autem Libertas non solum relatio rationis ad modum operandi cum indifferentia, ut vult Vasquez in S. Thom. Tom. 1. p. 1. Disp. 99. n. 47. sed ipsa voluntas formaliter libera est. Hinc cum realiter non differant, eadem potentia & voluntas & liberum arbitrium dicitur, ita ut Libertatem nobis eripere non possis, nisi ipsam voluntatem, ipsam animam velis deperditam, ut accurate satis Excell. Dn. Præses, Anthropol. lib. 1. cap. 4. expl. ad præc. II. §. 4.

§. 4. Effectum voluntatis vocamus actiones illas contrarias, quâ objectum, si bonum fuerit suâq; naturæ conveniens, prosequitur voluntas; si malum, averfatur & quantum potest, prosequitur. Unicô actu dicitur volitio, quâ contradistinguitur intellectui, qui objectum suum neque appetit, neq; averfatur, sed cognoscit tantum, in ejusq; cognitione ceu sine ultimo acquiescit.

THESIS II.

Dividitur in bonam & malam: perfectam & imperfectam: absolutam & limitatam.

§. 1. Definitionem sequitur divisio; quæ tamen hîc improprie dicitur. Neq; enim est generis in species, neque totius in partes: sed distinctio aliqua rationis, non equidem puræ, verum eminentis, & ut vocant, ratiocinata, quæ fundamentum habet in re: Dividitur etenim voluntas vel ratione objecti, vel actus, vel ipsius modi agendi.

§. 2. Ratione objecti dividitur in bonam, quæ bonum in se tale appetit: & malam, quæ appetit malum, licet sub specie boni; Ratione actus in perfectam & imperfectam. Illa objectum simpliciter vel appetit vel averfatur: hæc de utroq; participans objectum persequitur partim, partim prosequitur. Ratione denique ipsius modi, quô agit, dicitur vel absoluta, quando rem absolute vult aut non vult: vel limitata, quando objectum approbat non *ἀπλῶς* sed *κατὰ τὴν* secundum quid, & sub aliqua conditione: sic creditor debitori vult reddere chirographum, si pecuniam solverit; sic miles è Germania nostra discedere vult, si prius de pace novè compacta certus fuerit. Interim voluntas habetur pro facto.

Nobis hæc sufficiant. Illi autem, à quo

VELLE & PERIFICERE,

fit

GLORIA LAUS & HONOR.

Eximio Dn. Spudæo publicum specimen
edenti.

Quem Te sæpius æstimavi doctum,
Spudæum, hunc poterit quoque exhibere,
Inquisitio publica exarata,
Nam Sperlingius inde Candidatum,
Virtutis Sopiæq; purioris
Dignum laureâ & omni laude censer,
Notnagelius olim id approbabit
Doctoremq; creabit & Magistrum,
Auctores igitur Tue promotionis
Tantos & specimen satis paratum,
Paucis gratulor his; Deo volente,
Multo carmine plena plaustra mittam,
Et de publico honore gratulabor,

M. Christianus Seelmann Coburg, Fr.

Accidit, ut nigricans dicatur candidus, & non
Convenient rebus nomina plura suis,
Sic & Alexander quis dicitur, Absolon alter:
Sæpius ast neuter nominis omen habet.
Hosce tuos autem conatus qui videt, infert:
Tu Spudæe simul nomen & omen habes.

Johann: Georgius Rüsner/ Sulbaz. Palat.

Salve! Sicelidum solers SPUDÆE, salutis
Semina speranda sedulitate seris?
Votivis ventis, vivax virtute, vehâris:
Verba VOLUNTATIS volvito, vince, vale!

Johannes Joachimus Zinck,

F I N I S

WITTENBERG, Diss., ERG. B. D.,
1. 1612/1667

ULB Halle

3

005 377 20X



nicht verbewerten

W 177

Wilb. Felger
Buchbinderei
Bismarckstr. 8



Farbkarte #13

B.I.G.

PHYSICA.

1928 K 944

MENTATE.

am.

OLENTE

RESIDIO

RI

ATQUE EXCELLEN-
SIMI

S PERIPTOSIS

Leucorea Professoris

gè celeberrimi,

atroni, ac Promotoris

antia cultu devene-

ndi.

Eruditorum examini


mittet.

THASARUS SPUDÆUS

do Francus.

Majori, ad d. 1. Sept.

meridianis.



EBERGÆ

M. MICHAELIS Wendt/

DC XLIX.

49

7070

